

Ignacy Różycki

De theologica significatione analogiae

Collectanea Theologica 27, 53-58

1956

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

IGNACY RÓZYCKI

DE THEOLOGICA SIGNIFICATIONE ANALOGIAE

De nominum analogia et philosophi et theologi permulta scripserunt dixeruntque. Tanta copia scriptorum et theorematum de analogia effecit, ut non solum incipientes sed ne proveciores quidem vix discernere queant, quid principale, quid omnino secundarii valoris in illis theorematibus sit. Animadversiones quae sequentur, hunc finem habent, ut synthetice indicent, quae analogiae elementa, theologicis quaestionibus applicata, omnino principalissima sint.

Analogia primo in theologiam introducta est cogente tractatu de cognoscibilitate et natura Dei, in quo eiusdem applicatio in strictissimo sensu invenitur; decursu temporum ad semper novas theologiae partes extendebatur.

Deo uni et trino applicata, analogia principaliter modum designat mediatae cognitionis. Dei per ea quae facta sunt; in secundo autem loco analogiae nomen sumptum est ad significandam metaphysicam relationem Deum divinasque perfectiones inter et creaturas. Cum singularis omnino relatio ontologica inter Deum et creaturas singularem admodum cognitionis modum a parte creaturae expostulet, proprietates huius relationis primo in loco considerandae erunt, sequetur vero brevis conspectus analogiae prout cognitionis modum significat.

Ontologica relatio Deum inter et creaturas duo aspectus importat: causalem fiendi et essentialem essendi; aspectus vero essentialis essendi consequitur aspectum causalem fiendi. Causalem aspectum fiendi revelatio in creatione ex nihilo

sistit. Theologia vero, conceptibus humanis utens, hanc exinde conclusionem trahit: omnes creaturas non existere nisi per participationem in esse divino. Hoc modo analogia inseparabiliter cum philosophica participationis notione connectitur. Participatio autem entia per essentiam entibus per participationem ita invicem opponit, ut entia per participationem seu creata non nisi esse quoddam diminutum babeant, ut post creationem rerum non sit plus entis quam ante creationem, quamvis nunc plura entia sint; sicut neque homo eiusque umbra neque homo et eius imago duos homines faciunt. Nam entia creata non habent esse nisi in quantum sunt perfectionum divinarum participatae similitudines vestigiaque.

Esse per participationem duplicem in creaturas relationem essentialem, staticam ad naturam divinam inducit. Primo quidem omnes creaturae in generibus speciebusque continentur, solus vero Deus nulla ex parte ad ullum genus pertinere potest. Diminutio entis, a participatione inducta, in eius limitatione ad determinatos gradus perfectionis consistit. Genera et species hoc prae se ferunt, quod additio vel retractio unius notae genus vel speciem necessario mutat, siquidem rerum creaturarum essentiae sunt sicut numeri. Cum Deus sit ens per essentiam, non autem per participationem, non limitatur sed omni ex parte infinitus est neque, ex hac causa, ad ullum genus pertinet. Hanc staticam rerum creaturarum ad naturam Dei relationem concilium Vaticanum hunc in modum expressit dogmatice: Deus est „super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus“ (D 1782). Hoc est primum essentialique analogiae elementum.

Participatio secum trahit non solum degradationem, diminutionem limitationemque *τὸ* esse in creaturis, verum etiam singularem similitudinem Deum inter et creaturas, similitudinem dico analogicam, in qua secundum essentialia elementum analogiae sistit. Creaturae, quia in esse divino participant, sunt imperfectae, limitatae, partialesque similitudines perfectiorum Dei, immo non existerent nisi sint participatae similitudines perfectionum divinarum. Hac de causa necesse est existat inter

finitum esse creaturarum et infinitum esse Dei vera quaedam similitudo, quamvis omnium similitudinum debilissima. Homo neandertalensis, pygmaeus, homo europaeus specificè assimilantur. Similitudo inter lapidem, hominem et angelum iam minor, et quidem generica est, cum non communicent nisi in generalissimis notis entis substantialis. Similitudo inter Deum et quamcumque creaturam incomparabiliter debilior est similitudine inter corporalem lapidem et spiritualem angelum. Duae limitatae creaturae semper ab invicem finito modo distant, dum infinitus Deus a quacumque finita creatura infinite distans est. Quo entia magis ab invicem distant, eo maior inter illa dissimilitudo. Quia creaturae sunt solum participatae finitaeque similitudines divini esse, finito modo Deo appropinquant et assimilantur; quia ex altera parte in infinitum a Deo distant, dissimilitudo inter Deum et creaturam semper incomparabiliter maior est quam quaecumque similitudo: en principalissimam notam analogicae similitudinis inter Deum et creaturas. Quae etiam catholicae doctrinae adnumeranda est, cum Lateranense concilium a. 1215 super illam decretum suum fundaverit: „inter creaturam et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda“ (D 432). His stantibus, potest analogia strictissime definirì: est talis similitudo inter entia, cui coexistit sub eodem respectu dissimilitudo incomparabiliter, immo infinite maior.

Principium analogiae a concilio Lateranensi enuntiatum est ad refutandos trinitarios errores abbatis Joachim Florentis. Ad analogiae principium practice recurrerant SS. Patres praesertim in controversiis cum sectatoribus Arii, dum multiplices differentias ad oculos ponebant inter humanam hominis et divinam Verbi generationem. Analogiae principium exigit namque, ut non solum similitudines inter perfectiones divinas et creatas stabiliantur, sed multo magis dissimilitudines inter eas inculcentur. Quicumque nimiam vim addit similitudinibus inter Deum et creaturas, grave periculum currit cadendi in anthromorphismum.

Analogia, quae cognitionis modum spectat, seu analogia

nominum et conceptuum est idem ac cognitio praedicatioque analogica. Illa analogia, quae ontologicam relationem creaturarum ad Deum afficit ad ipsam expositionem fidei pertinet, dum analogia cognitionis et praedicationis valorem solum habet conclusionis theologicae, universaliter acceptae et certae.

Ratio humana, cum finita sit, finita seu creata entia solum pro obiecto cognitionis proprio habet, quod directe et immediate attingitur. Propterea omnes conceptus, quibus cognitio humana exprimitur, omniaque nomina, quae hos conceptus humanos significant, proprie destinantur ad repraesentandas vel significandas finitas perfectiones, quae generibus speciebusque annumerantur. Surgit itaque quaestio, immensi ponderis pro tota theologia: quo modo conceptus et nomina, quae ad repraesentandas et significandas finitas perfectiones adinventas sunt, possint simul repraesentare et significare infinitas perfectiones Dei, quae extra omnia genera sunt? Cui quaestioni theoria cognitionis et praedicationis analogicae respondet, quam mediaevales Arabum philosophi, praesertim vero Avicenna Averroesque, adumbraverant, in theologian christianam S. Thomas introduxerat, Th. de Vio-Caietanus profundius elaboraverat, theologi posttridentini denique-imprimis neoscholastici ultimum deceniorum-universaliter acceptaverunt applicaveruntque.

Cognitionis praedicationisque analogicae essentialia elementa in his consistere videntur: Negative imprimis dicendum est nullum conceptum nullumque nomen idoneum esse ad exprimendum, quid proprie Deus in se sit; cognitio analogica Dei itaque non est quidditativa. Alia ex parte S. Thomas praedicationem „secundum analogiam“ idem esse affirmat cum praedicatione secundum proportionem seu ordinem (I q 13 a 5). Ordo autem ad relationem pertinet. Quodsi omnes assertiones theologicae de Deo profundiori analysi subiciantur, apparebit hanc fundamentalem S. Thomae affirmationem omnino retinendam esse, quamvis secundaria eiusdem elementa amplius teneri nequeant: *Omnis quippe praedicatio realiter affirmativa de Deo aliquam relationem pro obiecto directe vel indirecte*

habet, relationem dico inter mentem cognoscentis et Deum, relationes subsistentes in Deo, relationes inter creaturas et Deum; numquam autem ad substantiam divinam repraesentandam inservire possunt conceptus limitantes obiectum suum, qui genera speciesque designant. Realiter affirmans de Deo illa praedicatio dicenda est, quae aliquid in Deo ponit, etiamsi in propositione grammatice negativa exprimitur; relatio, quae talis praedicationis obiectum est, intelligenda est non solum praedicamentalis sed etiam omnis relatio transcendentalis complectiturque omnia illa Aritotelis praedicamenta, in quibus aliquis ordo unius rei ad alteram quoque modo exprimitur.

Relationis natura haec est, ut non exigat essentias substantiasque fixas in aliquo genere, proptereaque de se non limitet suum subiectum, cui attribuitur: ex quo sequitur relationes-vi suae essentialis universalisque notae-possesse attribui simul infinito Deo, qui est supra omnia genera, et finitis limitatisque creaturis, quae per genera speciesque distribuuntur. E. gr. notio potentiae, corporali potentiae applicata, iam plures eiusdem species significat, nam novimus potentiam kineticam, potentialem, thermicam, chemicam, etc. Conceptus potentiae, vi suae extensionis, vim habet cuiusdam immaterialis delimitationis vel circumvallationis, quae res inter se essentialiter diversissimas intra se claudit. Sicut in eadem materiali delimitatione plurimae imagines contineri possunt, quae res a se longe diversas repraesentant, ita etiam conceptus relationum, Deo applicati, munus exercent cuiusdam immaterialis circumvallationis, quae claudit realitatem essentialiter diversam a realitate creata neque quidquam de propria illius natura enuntiat.

Theologia ad analogiam semper recurrit, ubicumque res agitur de participatione. Inter theologicas analogiae applicationes illa eminet, quae fit in tractatu de natura gratiae, per quam efficimur participes divinae naturae, „fugientes eius, quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem“ (2 Ptr 1,4). Elaboratur vero doctrina de natura gratiae ope analogiae propriissime sumptae, quae supra definiebatur. Relatio inter mediationem Christi et B. Mariae Virginis etiam per analogiam pro-

prie sumptam explicanda videtur, quia Mater Christi ita in mediatione universali Jesu participat, ut stricte loquendo non sit nisi unus Mediator Dei et hominum; haec tamen analogia minus stricta videtur quam analogia inter Deum et creaturas, neque enim mediatio Christi a mediatione Mariae in infinitum distare dicenda est.